



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm**

**Dript, Laurentius a**

**Nevhsii, 1673**

Caput Secundum. Encomium Marianum Secundum. S. Dei Genitrix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43641**

## CAPUT SECUNDUM.

*Encomium Marianum Secundum.*

## S. DEI GENITRIX.

**C**ONSIDERATĀ excellentiā, suavitate,  
 & figuris & significatione sanctissimi  
 & dulcissimi nominis *MARIÆ*, iam ad a-  
 lias eiusdem excellentias, quarum ipsum  
 est fundamentum considerandas digre-  
 diamur. Inter eas autem veluti sol inter  
 planetas excellit, supereminet, ac tran-  
 scendit, quod ipsa sit Mater Dei. Excel-  
 lentiam hanc in spiritu olim prævidens E-  
 vangelicus Propheta *Isaias*: *Erit inquit in*  
*novissimis diebus præparatus mons domus*  
*Domini, in vertice montium, & elevabitur*  
*super colles*: Quem locum explanans pri-  
 mus ordinis Benedictini Pontifex Maxi-  
 mus, & re, & nomine *Gregorius Magnus*,  
 super *I. Reg. 1. Potest inquit huius montis*  
*nomine beatissima Virgo designari, mons quip-  
 pe fuit qui omnem electæ creaturæ altitudinem*  
*electionis suæ dignitate transcendit. An non*  
*mons sublimis MARIA, quæ ut conceptionem*  
*verbi*

*verbi aeterni pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros, usque ad solium Deitatis erexit? huius quippe montis pre-excellentissimam dignitatē Isaias vaticinans ait, erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium: mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo MARIÆ super omnes sanctos refulsit: Et sicut mons altitudinem, ita domus designat habitationem: mons quippe & habitatio seu domus aptè dicitur: quæ incomparabilibus est meritis illustrata, Dei unigenito, in quo recumberet, sacrum uterum preparavit: Nam in vertice montium MARIA non fieret, si supra Angelorum altitudinem hanc divina fecunditas non levaret, & domus Domini non fieret, si in eius ventre per assumptam humanitatem verbi divinitas non jaceret. Hæc jam citatus Gregorius, & benè dicitur mons beatissima Mater propter altitudinem dignitatis, virtutis, & gratiarum, quæ à Domino cumulatissimè accepit, cuius quidem adeò ingens est altitudo, ut nullus reliquorum sanctorum, vel Angelorum, ei valeat comparari, ob quod ulterius alio loco hanc eminentiam idem Propheta ex-*

planare volens cap. 35. *letabitur inquit deserta, & in via, & exultabit solitudo, & florebit quasi liliurn* : Et paulò post magnificentiæ illius dans explanationem, *Gloria ait Libani data est, ei decor Carmeli & Saron*. Est autem Libanus, quod interpretatum dicitur Candidatio, mons altissimus in phœnicia, continuis nivibus hyeme & æstate candidatus : mons fœcunditatis, & opulentiæ, quia herbis & pascuis abundat : mons item redolentiæ & aromaticitatis, quia thus & herbæ odoriferæ ibi generantur : Est & mons iste eminentiæ, & sublimitatis, secundum *Rabanum Maurum*, quia à navigantibus à remotissimis etiam partibus cernitur : Est & mons iste humiditatis, quia fluminibus & fontibus irrigatur, & ab eo fontes fluminaque emittuntur : Est & mons fiduciæ, & securitatis, eò quòd sit immunis ab omnibus venenatis animalibus, serpentibus, hisque similibus, quæ fugantur ab odore arborum aromaticarum, Cedri, Cypressi, Palmæ, Olivæ, &c. Est denique mons pulchritudinis, & amœnitatis, lætitiæ & jucunditatis, medicinæ & sanitatis, quia arborum perpetua viriditas,

viriditas, fructuum suavitas, fluctuum vivacitas, avium cantus & garrulitas ipsum faciunt decorum, & iucundum, maximè quia in lateribus eius crescunt vina optima, arboreque medicinales, de quibus tam dictum est. Has proprietates attendisse videtur, jam citatus propheta, præcipuè tamen eius eminentiam, & sublimitatem. Licet autem *S. Hieronymus Basilius & Gregorius* hunc locum *Isaie* explicent, de beneficijs à DEO Synagogæ, & Ecclesiæ præstitis: ad intentum tamen nostrum hunc locum congruentissimè exponunt, de eminentiâ & magnificentiâ beatissimæ Virgini Matri collatis, sancti *Thomas à Villanova* serm. de Nat. Virg. *Rupertus, & Dionysius Carthusianus* in cantica. Quod si quæramus à *S. Ioanne Damasceno*, quantam existimet esse huius montis altitudinem, & eminentiam, Respondet ille Orat. i. de Nat. *Virgo mons est ille qui collem omnem, ac montem, id est Angelorum & hominum sublimitatem exuperat: mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Si autem præfulem Hipponensem Augustinum: Respondabit ille, talem eius esse celsitudinem,*

*situdinem, ut neque ab Angelico intellectu, neque ab humano comprehendi possit. Magnus nomine & re Gregorius, tantam ait esse eius eminentiam, ut participet quoddam esse divinum, conformiter ad mentē Cantuariensis Archi-præsulis Anselmi qui tantam arbitratur esse illius eminentiam, ut infinitum propè accedat: Hoc solum ait ille de sanctâ MARIA Virgine predicare, quod Dei mater est excedit omnem celsitudinem, quæ post Deum cogitari vel dici possit: B. Laurentius Iustinianus, celsitudinem eius tantam asserit, ut primatû superet omnem creaturam. Maiora de excellentia hac celebrare, & asserere audet Bonaventura tantam inquis illius sublimitatem, ut Deus de potentiâ suâ ordinariâ eam ad maiorem altitudinem extollere nequiverit. Et denique Doctor Angelicus Thomas Aquinas, quasi ad ultimum potentiæ divinæ se extendens tantam eius esse excellentiam, altitudinem ac eminentiam dicit, ut neque Deus de potentiâ absoluta maiorem, sublimiorem, aut excellentiorem facere potuerit matre Dei: Beata Virgo ait citatus Doctor i. parte quæst. 26. ex hoc quod est mater Dei, habet quandam dignitatem*

*ratem infinitam ex bono infinito, quod est Deus, & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eâ.*

## §. 1.

**M**irabilis prorsus & inexplicabilis debet esse excellentia quæ Deo limites potentiaë imponit : Omnipotens est Deus, potestq; facere omne factibile juxta illud Angeli *Gabrielis non est impossibile apud Deum omne verbum: Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Cælum, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, mille mundos hic unico verbo fiat, facere posset : Et maiorem beatissimâ suâ genitrice facere non posset ? Theologi hoc mysterium & sacramentum penitus contemplantes dicunt DEUM potuisse maiorem quidem facere subjectivè & entitativè non tamen terminativè, hoc est: potuisse Deum de potentia sua sive ordinaria, sive absoluta, producere, aliquam virginem, seu subjectum quod secundum se sumptum esset maioris excellentiaë, & dignitatis quam gloriosissima virgo *MARIA*, secundum se præcisè considerata, eo quod daret illi vel posset dare saltem maiorem gratiam,

gratiam, illâ quam habet beatissima virgo: cum gratia illius sit finita & possit per Deum magis ac magis augeri (non enim datur infinitum in Esse physico extra Deum secundum probabiliorem *D. Thomæ* sententiam) non potest autem Deus maiorem facere quam sit mater sua; Terminus enim maternitatis Dei, est ipse Deus, ac proinde cum implicet dari maiorem Deum illo quem beatissima Mater genuit, implicat dari maiorem ipsa matre Dei: ut non immerito gloriatur virgo sacratissima in cantico suo: *Fecit mihi magna qui potens est*: quæ verba ponderans, *S. Bernardinus Senensis*, tom. 3. serm. 6. art. 2. cap. 1. ipsam beatissimam matrem sic introducit loquentem. *Qualia autem sunt non exprimo, quia nec plane auris Angelica intelligere potest. Ista autem magna non solum creaturis sunt maxima, sed etiam maxima & insuperabilia illi, qui potens est, imò omnipotens est, & sanctum nomen eius & tamen nec potentiora nec sapientiora ille facere potuit, quam qua in me ipse fecit.* Nimirum ut jam dictum hæc maternitas terminus est omnipotentia divina: hic jam amplius locum non habet symbolum quo ad  
 insigne

infigne suum utebatur olim *Carolus V.* Imper. nimirum, *plus ultra*, sed delendum hoc hic & ejus loco ponendum *non plus ultra*.

Putant quoque plerique sancti Patres, quod licet beatissima mater fuerit ab instanti suæ Conceptionis summè illuminata, tamen nec ipsa hanc dignitatem, scilicet esse matrem Dei, perfectè penetrare potuerit: licet hoc ipsum eidem concedere videatur Doctor mellifluus quod tamen Angelo cælesti internuncio denegat: postquam enim consideravit beatissimæ virginis interrogationem, *Quomodo fiet istud, &c.* Pensans Angeli responsionem Spiritus sanctus, &c. introducit eum hoc modo loquentem: *Modum illum quo de Spiritu sancto concipies, Dei virtus & Dei sapientia Christus, sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget & occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur & tibi. Ac si Angelus respondeat ad virginem: Quid à me requiris, quod in te mox experieris? Sciens scies & feliciter scies, sed illo Doctore quo & auctore. Ego autem missus sum nunciare virginalem conceptum non creare. Nec potest doceri nisi à donante: nec potest addisci nisi à suscipiente.*

*Et*

Et paulò antè *Quid est inquit idem Bernardus, & virtus altissimi obumbrabit tibi? Qui potest capere capiat: Quis enim exceptâ fortassis illâ, quæ hoc sola in se felicissimè meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille, inaccessibilis virginis sese visceribus infuderit, & ut illa inaccessibleem accedere ad se ferre potuisset de portiuncula eiusdem corporis, cui se anima contemperavit? Et propter hoc maximè fortassis dictum est obumbrabit tibi, quia res nimirum in sacramento erat, & quod sola per se Trinitas in sola, & cum sola virgine voluit operari: soli datum est nosse, cui soli datum experiri.*

## §. 2.

**S**ingularissimi Deiparæ Cultores, ut sum erga eam manifestent amorè, infinitos quodammodo honoris, decoris titulos & encomia, quibus dilectissimam suam & Domini Matrem honorent, eiusque gratiam demereantur ad imitationem carnalium amatorum, qui ut amasiarum suarum carnalium amorem & favorem aucupentur, nescio quos non pueriles, futiles risuque & cachino dignos titulos excogitant, iisdemq; accommodant: nulla enim  
satis

satis magna sunt amoris officia, ut ait Abbas Gillebertus serm. 19. in cantica præsertim spiritualis. *Quomodo enim erit in suo parcus qui in alieno fidelis existit? Amor se ipso nihil impendit libentius, nihil uberius potest. Amor inastuat, seipsum non capit, superfluit sibi immensitatem æmulatur, dum metam nescit affectui ponere. Oleum est quod stare nescit nisi cum vasculum desijt, nisi quod nec tunc novit compesci. Musti præfert amor insigne quod naturivitatis suæ fervore quodam, & velut ætatis lasciviâ excrescit & superfluit, capi nesciens & novo semper excrescit, exfervescit & fermentatur affectu. Amor infirmitatem non causat sed magis accusat. Amori nihil satis est, nihil minus seipso. Amor seipso satiari non potest, & tamen nisi seipso pasci non potest; ipse sibi satis dulce est pabulum. Et hæc vera esse experientiâ utiq; propriâ norunt, hujus dulcissimæ matris cultores & amatores, hinc illa Encomia qua alij eam filiam patris cælestis: alij Sacrarium Spiritus S. alij aulam cælestium Sacramentorum: alij compatiunt animatum Regis Angelorum: alij alijs eam titulis & encomijs celebrant: ac omnes hos aliosque laudis titulos superat*

D

si eam

fi eam Dei matrem prædicavero. Hinc Petrus Cellensis, de pan. lib. 16. cap. 21. hanc admirans dignitatem: *Si celi inquit Reginam, si Angelorum Dominam vel quodlibet aliud excellentissimum tam ab humano corde quàm ore excogitatum protuleris, non assurget adhuc super indicibilem honorem quo creditur & prædicatur Dei genitrix.* Si enim magnum & honorificum est matrem esse Comitum, majus matrem principis, aut certè Regis, maximum autem esse Imperatoris, aut summi Pontificis; quantò inefabiliter & infinito majus erit esse matrem Imperatoris cœli & terræ, Creatoris, DEI omnipotentis? Hinc Dionysius Carthusianus explicans hunc locum, capituli septimi canticorum. *Iunctura fœminum tuarum sicut monilia: Magnum ait esse virginem: majus autem virginem tam puram ut numquam inordinatum passa sit metum, nec stimulum corporis, nec concupiscentiam appetitus. Maximum verò esse matrem, ac virginem: at verò supermaximum esse virginem, & matrem veri Dei.*

§. 3.

Sed ut hanc virginis matris Excellentissimam adhuc amplius penetremus: consideremus tantò majorem alicujus excellentiam esse quantò majus dominium: dominium autem tantò est majus, quantò aut ad plures provincias, aut plures subditos regendos extenditur: hinc Imperatoris major est dignitas, quia majus Dominium: majus autem Dominium, quia in omnes totius imperij fines, populosque universos regendos extenditur. Et propter hoc solent magnates suam volentes patefacere potestatem, in titulis suis regiones quarum sunt Domini exprimere: Exempli gratia Imperator hoc modo: Leopoldus i. Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus Vngariæ & Bohemiæ Rex, &c. sic & psaltes Regius Christi Domini majestatem posteris ejus significare cupiens, *Dominabitur inquit à mari, usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum.* Ps. 71. Attendite jã quæso paulisper dignitatem *MARIÆ* Dei parentis, tanta nimirum est ejus Dominatio ut nesciam quid de ea sublimius dici possit, nimirum

D 2

rum

rum ejus Dominatio ad ipsum etiam Christum Regem & Dominum Angelorum se protendit & hoc ipsum disertis verbis enunciat *Evangelista Lucas, c. 2. Et erat inquit subditus illis*: Tantam virginis matris excellentiam ab una & submissionem filij Dei ex altera partibus considerans *Bernardus*, hæret præ stupore & admiratione: *Sicujus* ait (*Homil. i. super missus*) *MARIA sit mater attendas: quo te tua super ejus admirabili celsitudine ducet admiratio? nonne ad hoc ut te videas non posse satis mirari? nonne tuo imo veritatis judicio illa quæ Deum habuit filium super omnes etiam Choros exaltabitur Angelorum? An non Deum, & Dominum Angelorum MARIA suum audacter appellat filium? dicens Fili quid fecisti nobis sic? quis hoc audeat Angelorum? sufficit eis & pro magno habent quod cum sint spiritus ex conditione, & gratia facti sunt & vocati Angeli testante David: Qui facit inquit Angelos suos spiritus. MARIA verò matrem se agnoscens majestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est. Nam paulò post subdit *Evangelista, & erat inquires subditus**

subditus illis. Quis? quibus? Deus hominibus Deus inquam cui Angeli subditi sunt, cui principatus & potestates obediunt, subditus erat *MARIÆ*. Mirare ergo utrumlibet & elige quid amplius mireris, siue filij benignissimam dignationem, siue matris excellentissimam dignitatem. Vtrinque stupor, utrinque miraculum. Et quod Deus fœminæ obtemperet humilitas absque exemplo, & quod Deo fœminæ principetur sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quocumque jerit. Quibus ergo laudibus iudicas dignam quæ etiam præsit.

Ex quibus non incongruè inferri posset, *MARIAM* Domini matrem dignitate suâ aliquatenus Christi Domini dignitatem transcendere, ac superare, & imperium ejus imperio Christi aliquo modo majus esse, quia nimirum Christus omnibus rebus creatis imperat, *MARIA* & ipsimet Christo.

## §. 4.

**S**ed jam ad montis metaphoram revertamur. Mons lingua Hebraicâ Hararid est prægnans dicitur, nec immerito non solum propter figuram ejus quæ prægnantis vide-

tis videtur, sed etiam quia ex monte multa & utilia mundo generantur. Ex montibus enim veluti ex genitrice & matre oriuntur varij generis arbores quarum alia ad ignē, ad ædificia exstruenda alia idonea sunt: hæ ad fructus edendos conducunt, sic & montes herbas jumentis, armentis ac gregibus alendis producant, juxta illud Psalmistæ: ps. 146. *Qui producit in montib<sup>9</sup> fœnū & herbam servituti hominum*: pariunt etiam multas herbarum species medicinalibus usibus aptas, producentes nimirum vineas messes, arboresque medicinales: fontes item emittunt irrigantes concava vallium, fluminibus aquam ministrantes, denique in montibus generatur aurum & argentum, aliaque hujusmodi metalla mineralia, lapidesque pretiosi & his similia, de quibus supra dictum est de monte Libano. Rectissime ergo montis nomine beatissima virgo designatur: in ea siquidem crevit natumque est frumentum & triticum Electorum, quod Ecclesiæ DEI horrea adimplevit: ab hujusmodi enim mille & plus quam sexcentis annis abundamus cælesti frumento, & vino etiam di-

vino

vino torcularia nostra redundant: in eâ inquam natus est ille qui de se ipso fatetur: *Ego sum panis viv<sup>9</sup> qui de cælo descendi, si quis manduca-verit ex hoc pane vivet in æternum.*

Joan. 6. Ex hoc etiam monte emanavit & originem traxit fons ille, qui irrigat universam superficiẽ terræ Christ<sup>9</sup> Domin<sup>9</sup>, de se ipso proclamãs: Joã. 4. *Si quis sitit veniat ad me & bibat, & de ventre ejus fluent aqua viva: fietq; in eo fons aqua viva salientis in vitam æternam.* Ex hoc monte eductus est lapis ille, qui facit utraq; unum, qui factus est in caput Anguli: lapis præfiguratus in lapide illo, qui abscissus de monte sine manibus, comminuit magnam illam statuam, cujus caput aureum, &c. In hoc inquam monte invenitur petra, quæ sitienti populo dulcẽ emittit aquã: I. Cor. 10. *Petra enim juxta Apostolum erat Christus:* Denique in hoc monte inveniuntur aurum charitatis, argentum sapientiæ, lapides margaritæque pretiosissimæ, omnigenarum virtutum: ut non immeritò sed dignissimè beatissimæ Virginis fœcunditatem, seu quod sit Mater Dei tantis laudibus & encomijs celebrent. S. P. imò ipsi

etiam infensissimi Catholicæ fidei adversarij hanc dignitatem in beatissima Virgine agnoscant ac venerentur. Et quidem hæreticorum & hæresiarcharum facile Coriphæus *Martinus Lutherus* in expositione *Cantici Mariani, Magnificat*, his eam laudibus celebrat: *Eo ipso inquit quod MARIA mater Dei facta est, tam ingentia ei dona data sunt, ut superent captum cujusque. Hinc omnis beatitudo & honos pervenit, ut in universo genere humano unica persona sit superior cunctis, cui nemo sit par, quæ cum patre caelestium filium habet communem. Cui simile aut majus an ab aliquo maximo hujus virginis amatore aut cultore dici possit non video: Luthero subscribit *Oecalampadius*, suam etiam mentem erga hanc beatissimam Matrem ostendere volens: numquam ait de me audietur quasi a verber *MARIAM* erga quam minus bene affici reprobata mentis certum est indicium esse, nollem è cultu *MARIÆ* aliquid diminui. Sicut homini communicatur omnium creaturarum dignitas, ita ista omnium humanarum excellentiarum particeps fuit: Sic *Oecalampadius* ferm. de laud. virg. cum quo coincidit & alter hæreticus *Bulingerus*: Omnia in-*

nia: inquit ille in *MARIA* sunt excellentissima, nihil ibi vile, nihil vulgare sed omnia plena miraculis à manu divina profectis.

§. 5.

**N**ihilominus habuit & hæc sanctissima ac dignissima mater adversarios alios hæreticos, qui eidem summam hanc dignitatem auferre conati sunt impijsimis oribus & linguis blasphemis volentes eam non *Δεώτοκος* id est Dei matrem sed *Χριστότοκος*, id est Christi matrem appellandam esse. Ex diversis tamen principijs procedentes: *Valentiniani* siquidem eam Dei matrem negaverunt eò quod dicerent Christum spirituale, & cæleste corpus assumpsisse, nihil de bñna virgine accepisse sed per eam tanquam per rivum, aut fistulam transivisse. Et hunc errorem sequuntur adhuc *Anabaptista*. Alij verò eam Dei parentem negaverunt quod assererent Christum non veram, sed phantasticam carnem & corpus assumpsisse ita senserunt *Cerdon*, *Marcion* & *Manicheus*. Alij denique eam dei matrem negaverunt eò quod duplicem in Christo personam ponerent:

nerent:

nerent : unam æternam à patre cælestian.  
te sæcula genitam, verumque ejus filium,  
aliam in tempore ex beatissima virgine  
quam filium hominis, & virginis matris  
nuncupaverunt ; ita impius *Nestorius*. *Pho-*  
*tinus* autem contra ei maternitatem Dei  
subtrahere conatus est quod Christum pu-  
rum hominem fuisse assereret, qui tamen  
tantum in gratia augmentum percepisset,  
ut meruerit filius Dei nominari: sed contra  
hos omnes stat firma veritas Catholicæ  
Ecclesiæ, quæ est basis, & firmamentum  
veritatis : stat intrepida mulier illa Evan-  
gelica, quæ scribis, & pharisæis dominum  
tentantibus, simul & blasphemantibus,  
tantâ ejus incarnationem præ omnibus  
sinceritate cognoscit, tantâ fiduciâ confi-  
tetur, ut & præsentium procerum calum-  
niam, & futurorum confundat hæretico-  
rum perfidiam, alta voce exclamans di-  
censque salvatori: *Beatus venter qui te por-*  
*tavit & ubera que suxisti*. In quæ noster ve-  
nerabilis *Beda*: lib. 4. cap. 45. in Lucam: *Si*  
*inquit Caro verbi Dei secundum carnem nas-*  
*centis à carne virginis matris pronunciat*  
*extranea* (quemadmodum jam citati hæ-  
retici

retici cum Eutychete assererent ) Sine causa venter qui eum portasset & ubera quæ lactassent beatificarentur. Dicit enim Apostolus, quia misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege : neque audiendi sunt qui legendum putant, natum ex muliere, factum sub lege, sed factum ex muliere : quia conceptus ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed maternâ traxit ex carne, alioquin nec verè filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Sed & hæreticorum ante citatorum opiniones falsas esse ipsæ sacræ paginæ manifestè demonstrant: *Valentinianorum* quidem dum varijs in locis vocatur *Christus Filius David*, factus ex semine David secundum carnem ; factus ex muliere, sed & sacræ litteræ ubiq; beatissimam Virginem veram Christi matrem confitentur, quod non esset si de substantia ejus genitus non esset : deinde si corpus Christi fuit spirituale, cæleste, vel phantasticum ut volebat *Manichæus* : profectò corpus illius non fuit verè passibile, sed tantum apparenter ; quod si dicatur, certè sequetur Christum non redempisse nos, quod per veram Christi mortem & passionem

nem

nem fieri debuit, quæ tamen in corpus spirituale aut phantasticum cadere non poterunt. Sic & *Photini* opinionem annihilant variæ Christi affirmationes, dum se similem patri & unum cum illo affirmat: & cælestis incarnationis mysterij internuncius, quod inquit ad beatissimam virginem ex te nascetur, sanctum vocabitur filius Dei. Et iterum hic ait, erit magnus & filius altissimi vocabitur: Luc. I. Et *Elisabeth* unde hoc inquit, mihi ut veniat mater Domini mei ad me? Nestorij denique hæresim refutat disertis verbis S. *Athanasius* in suo symbolo sicut inquit anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus: Et paulò ante: Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus: Eandem fuse refutant & explodunt Theologi in Theologicis Tractatu de Incarnatione, probantes eandem naturam non posse terminari diversis personalitatibus, sed hæc ad longum adducere, non est præsentis propositi.

In hos impios nõ incongruè quadrat psal-  
tis regij assertũ, posuerunt inquit ps. 72. in cæ-  
lum os suum: dum nimirũ se solẽ justitiæ ve-  
nerari profitentur in matrem tamen ejus  
sanctis.

sanctissimam propudiose jaculantur, quasi non esset mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus *Apoc.* 12. quasi non esset illa quæ progreditur quasi aurora confurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata *Cant.* 6. quasi non esset (teste *Damasc.* orat. 1. de Nat. B. *MARIÆ*) cælum ex terrena materia conditum ab eo qui olim firmamentum ex aquis finxerat atque in altum extulerat, ac sanè hoc longè illo divinius; nam qui in illo solem effecerat, ex hoc justitiæ sol ortus est. Quis ergò eam *cælum* nuncupans aberret à vero, nisi fortè rem rectè intelligens ipsis quoq; cælis incomparabili præcellentia modo eam superiorem dicere malit? Etenim is qui cælorum architectus & conservator est; qui rerum omnium conditarum tam mundanarum quàm supermundanarum, tam aspectabilium quàm inspectabilium, artifex; cujus nullus in omnibus rebus locus est (siquidem id quod continet eorum quæ continentur locus esse definitur) in ea à se ipso sine semine infans effectus est, eamque latum suæ Deitatis omnia complectentis promptuarium reddidit: Totus  
nempe

nempè citra ullam perpeffionem in ea collectus, ac totus intus manens, locumq; sibi habens qui comprehendi nequeat. Cum Dominus apud prophetam dicat, *Celum sedes mea*, quis ambigat eam rectè *Celum* nuncupari, quæ intra sua castissima viscera Deum novem mensium spatio quiescentè gessit, sicut ipsa per Ecclesiasticū ait, *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo?* ECCL. 24. quā prærogativam ei gratulans mox citatus *Damascenus* orat. i. de Assumptione, exclamat ad ipsā: tu es *solium* illud regiū, cui astiterunt Angeli, Dominum & factorem insidentem cernentes: Tu spiritualis *Edem*, antiquā illā sanctior, ac divinior; siquidem in illa terrenus Adam commorabatur, in te autem Dominus cælestis: te *Arca* illa, quæ secundi mundi semina conservabat, adumbravit; quippè quæ Christum mundi salutem, qui peccatum obruit ejusque fluentia compressit, peperisti: Te *rubus* delineavit, *tabule* divinitus perscriptæ significarunt, *æderis arca* prænunciavit, *urna*, & *candelabrum*, & *mensa*, & *virga Aaronis* quæ *floruit*, aperte præfigurarunt; siquidem ex te divinitatis flamma, ille Pa-

tris

tris terminus & ratio, suavissimum illud & cæleste manna, nomen illud & nominis ex-  
pers atque omne nomen superans, lumen  
illud sempiternum & inaccessum, ille pa-  
nis vitæ ac cælestis, ille nullis agricolæ ma-  
nibus excultus fructus, corporaliter pullu-  
lavit. Quid? Annon te *fornax* illa desi-  
gnavit, quæ ignem simul refrigerantem &  
inflammantem ostendebat, diviniq; illius  
ignis in te habitantis typum gerebat? quin  
& *tabernaculum Abrahæ* te apertissimè indi-  
cabat, quatenùs Verbo Domino in utero  
tuo tanquam in tabernaculo habitanti hu-  
mana natura subcinericium panem, hoc  
est, sui primitias, ex puris tuis sanguinibus  
obtulit, à divino igne quodammodo co-  
ctas, panemque effectas.

Est ergò *MARIA* non modò cælum,  
sed etiam *præcellens cælum*, pro ut eam di-  
serte nominat *Andreas Cretenfis*; Qui &  
complura alia ejusdem elogia ibidem coa-  
cervat, vocans eam:

*Terram DEO cultam,  
Delibationem massæ humani generis in  
Christo deificata,  
Simillimam primariæ speciei ac decoris re-  
presentationem,* *Arca-*

Arcanorum Dei judiciorum thesaurum à  
 Deo obsignatum ,  
 Virtutum domicilium,  
 Spiritalem librum sermonum mirabilium  
 divina in nos dispensationis,  
 Profunditatem inexplicabilem ejus qui om-  
 nia in omnibus implet,  
 Turrem fortissimam abscondita spei,  
 Incorruptionis impenetrabilis thesaurum,  
 Regiam stolam Verbi sempiterni,  
 Terrenum celestis Regis palatium,  
 Celestem divinorum cum hominibus con-  
 tractum officinam,  
 Congruentissimam divina humanationis  
 materiam,  
 Perfectum optimi artificis lutum,  
 Perspicuissimum spiritualis lucis vehiculum,  
 Lampadem per quam Sol justitiæ nostris se  
 aspectibus ingessit ,  
 Intellectuale speculum divini splendoris,  
 Sublime solium in quo sedens Dominus Sa-  
 baoth acutissimo Prophetarum Isaie  
 visus est,  
 Celestis generis regalem dignitatem,  
 Totius sacri cultus ac sacrificij Sanctuarium,  
 Divinorum holocaustorum spiritale thy-  
 miama, Carbonis

Carbonis expiatoris forcipem,  
 Virgam Leviticam,  
 Radicem Iesse,  
 Sceptrum Davidicum,  
 Fictoris sui matrem,  
 Altoris nutricem,  
 Orientis ex alto portam,  
 Omnia complectentis sinum angustum,  
 Vestem sine macula ovis pariter ac pastoris,  
 Mundissimum vellus celestis roris,  
 Terram virgineam instauratoris Adæ,  
 Celum ejus qui terram celos fecit,  
 Idem quoq; superius serm. de Annunc.  
 eandem appellat:

Gaudij organum,  
 Magnificum divina gloria templum,  
 Regis palatium,  
 Thalamum in quo Christus humanam sibi  
 naturam desponsavit,  
 Divinam cum hominibus reconciliationem,  
 Vitæ immortalis thesaurum,  
 Celum celo altius,  
 Solis glorie domicilium.  
 Olei unctionis exultationem,  
 Spiritualium aromatum thymiama,  
 Florem incorruptionis,

E

Terram

*Terram aromatum feracem,*  
*Thecam vitam continentem,*  
*Lucernam splendidam,*  
*Purpuram divinitus textam,*  
*Vestem regiam,*  
*Stolam divino opere variam,*  
*Diploidem auream,*  
*Spiritalis purpure verbi connexionem ines-*  
*fabilem,*  
*Diadema regni pontificiâ manu plenum,*  
*Solum excelsum,*  
*Portam celis celorum elevatiorem,*  
*Reginam totius humani generis retinentem*  
*sinceram nuncupationem cum usu,*  
*Vno excepto Deo rebus omnibus excelsiorem.*

Hæreticos antedictos superavit im-  
 pijsimus *Constantinus* ob fœdatum ster-  
 core fontem baptismalem *Copronymus* di-  
 ctus *Constantinus* (ait *Suidas* in diction. litt.  
 C.) *Imperator* Romanorum, *Leonis* Ico-  
 nomachi *Isauri* fuit filius : Nata est autem  
 è Leone pardalis versuta, è serpentino se-  
 mine aspis atrox & serpens volaticus, è  
 Dan Antichristus. Hic paterni imperij,  
 pariter & impietatis successor, libidinibus,  
 demonum invocationibus, & alijs impro-

bis

bis studijs deditus atque vacans, eximium instrumentum & supra modum opportunum patris sui & præceptoris extitit diaboli: eò vecordix ac vesaniæ redactus, ut lege sancierit, ne quisquam prorsus servorum Domini diceretur *Sanctus*, quin & eorum reliquix conspuerentur, nec eorum intercessio posceretur: nihil enim eos posse. Deinde adjecit homo profanus, ne *MARIÆ* quidem intercessionem quisquã imploraret: neq; enim eam juvare quempiam posse. Cavit præterea ne eandem ullus nominaret *Deiparam*: sumpto quippè in manus sacculo auri pleno, & omnibus adstantibus monstrato, rogavit, quanti æstimandus esset? Quibus respondentibus, maximi: ille rursus effuso auro interrogavit eosdem, quanti æstimandus esset sacculus jam auro vacuus? Quibus respondentibus, nullius esse valoris: subintulit ipse, *Ad eundem quoq; modum MARIA* (neq; enim miser eam dignatus est *Deiparam* dicere) *quamdiu Christum in utero gestavit, honore digna extitit; postquam autem eum enixa est, nulla præ cæteris fæminis dignitate præstat.* O audacem blasphemiam Sara-

cenicæ Religionis, & Judaicæ perfidiæ!  
 Atqui Venerem ille colebat, & humanas  
 victimas ex adverso urbis immolabat, ubi  
 Divæ Mauræ templum extiterat, quod ille  
 solo æquatum, ac humanarum hostiarum  
 cæde profanatum, in carnificinam con-  
 vertit, ipsumque locum *Mauram* appella-  
 vit, in quo sacra illa sua peragebat, & pue-  
 ros mactabat. Testimonio est Flavij puer,  
 quem occultè ab eo immolatum DEUS  
 patefecit.

Sed gravissima teste *Loerio* lib. i. *MARIÆ*  
*augultæ* cap. 10. hunc *Constantinum Copro-*  
*nimum* mansit ultio, qui toto corpore fer-  
 vidissimâ feбри grassante inflammatus, &  
 elephantiasi coopertus frendens ac despe-  
 rans vociferabatur, *MARIÆ* animadver-  
 sione sese cruciabili ardore torqueri: inque eo  
 dolore æternis immergendum ignibus spi-  
 ritum exhalavit. Cujus deinde cadaver  
 cum sepultum esset imperante seu jubente  
*Michaele Theophili* filio exhumatum, &  
 flammis injectum, in cineres resolvitur.  
*Cedrenus* denique de eodem differens in  
 Annalibus: animæ inquit & corporis mor-  
 tem obiit, vociferans, atque dicens, *Se in-*  
*extin-*

*extinguibili igni traditum propter MARIAM:*  
jubens eam exinde honorari ac celebrari  
verè *Deiparam*.

Nos igitur his contra *Eutichen, Valen-*  
*tinum, Cerdonem, Marcionem, Manicha-*  
*um, Nestorium, Photinum, Constantinum Co-*  
*pronimum*, aliosque hæreticos dictis extol-  
lamus vocem cum Ecclesia Catholica,  
cujus hæc mulier typum gessit, de qua  
jam ante dictum, extollamus & men-  
tem de medio turbarum, dicamusque sal-  
vatori: *Beatus venter qui te portavit & ubera*  
*qua suxisti*. Verè enim beata parens, quæ  
sicut quidam ait:

Enixa est puerpera Regem,  
Qui cœlum, terramq; regit in sæcula.

## CAPUT TERTIUM.

*Encomium Marianum Tertium.*

S. VIRGO VIRGINUM.

**M**Andarat olim Deus *Moyse* (quem-  
admodum Exodi 24. videre licet)  
*Ascende ad Dominum tu & Aaron, Nadab*  
*& Abiu, & septuaginta senes ex Israel, & a-*  
*dorabi-*